

eam inducendi, ac per tempus legitimum, continuoque usu fuerit observata: hoc enim probare, quam sit difficile, quis non videt? eo præsertim, quod mores populi valde sint mutabiles, et variabiles, ut dicitur. § penult. *Institut. de Jure nat. gent. et civil.* Accedit, quod consuetudo debeat plene probari; ut tradit Bartolus in *Repetitione l. Consuetudinis*, quæst. 27, c. *Quæ sit longa consuetud.* et alii apud Mascardum cit. concl. 423, n. 49. Simulque ipsa sit probanda in specie, imo et in individuo: cum non extendatur de casu ad casum, ut loquitur card. de Luca, discurs. 53, de *Feudis*, n. 4. Quæ omnia simul sumpta reddunt probationem consuetudinis difficilem, imo ut loquitur Abbas, consil. 53, n. 2, lib. III, difficillimam, et juxta Hostiensem cap. ult. h. t. quasi impossibilem.

171. *Cui incumbat onus probandi consuetudinem?* — Quæritur II. Cui incumbat onus probandi consuetudinem? Resp. Certum est, quod allegans consuetudinem, teneatur ipsam probare. Ratio est clara: « quia generale est, quod affirmanti incumbat probatio, » L. 2, ff. de *Probationib.* Simulque consuetudo consistit in facto, cap. I, de *Constitut.* in 6; quæ autem consistunt in facto, non præsumuntur, sed indigent probatione. Nam facta ex sui natura sunt incerta, l. *In omnibus*, ff. de *Juris et facti ignorant.* sicque non præsumuntur, nisi probentur, l. *Asseveratio*, C. *De non numerat. pecun.* et late Barbosa, axiomat. 93, n. 27, citans alios.

172. *Consuetudo notoria non indiget probatione.* — Excipitur tamen consuetudo notoria: hæc quippe propter ejus notorietatem non indiget probatione, sed sufficit simpliciter ipsam allegare. Mascardus, cit. concl. 423, n. 27 et 28, allegans alios. Imo (quod plus est) hujusmodi consuetudinem notoriam iudices supplere posse, ac teneri supplere, censent Guido papæ, singul., 932, n. 1, pluresque alii doctores, quos refert idem Mascardus, n. 28 et 30, postmodum subjungens nonnullas alias fallentias datæ conclusionis.

173. *Consuetudo probatur pluribus modis.* — Quæritur III. Quibus modis consuetudo probetur? Resp. Plures modi, quibus probatur consuetudo, referuntur a doctoribus, uti videre est apud Hostiensem, in summa, tit. de *Consuetudine*, n. 3 et seqq. Mascardum, concl. 424, de *Probationibus*, et alios passim.

174. *Et quibus?* — Et imprimis probatur consuetudo ex eo, quia ipsa successu temporis redacta est in scripturam: ut contingit in

usibus seu consuetudinibus feudorum. Deinde probatur consuetudo, quia jam semel obtenta fuit in iudicio contradictorio: ut habetur c. *Abbate*, 25, de *Verb. signif.*, et l. *Cum de consuetudine*, ff. de *Legib.* Atque hi duo modi probandi carent graviore difficultate.

175. *Et quibus?* — Tertio probatur consuetudo, quia bis judicatum fuit inter longum tempus secundum consuetudinem allegatam, licet non contradictam. Et per hoc differt iste modus a priori, quod ibi quæstio moveatur super existentia consuetudinis, puta cum unus dicit, hanc esse consuetudinem, et adversarius dicit non esse, et judicatum fuit, quod erat talis consuetudo. Glossa, cit. c. *Abbate*, §. *Contradicto iudicio*. Quod impræsentiarum non requiritur, sed sufficit, quod intra lapsum longi temporis bis saltem ita fuerit iudicatum: nam

176. *Binus actus in iudicio, seu gemina sententia conformis inducit consuetudinem.* — Binus actus in iudicio, seu gemina sententia judicialis conformiter lata circa idem genus causarum inducit consuetudinem, licet non probetur, quod sic lege fuerit constitutum; arg. l. *Diuturna*, ff. de *Legib.*, juncta Glossa, ibi dicente, quod consuetudo inducitur per duas sententias latas intra decem annos. Bartolus, in *Repetit.*, l. *Consuetudinis*, quæst. 19, c. *Quæ sit longa consuetud.*; Hostiensis, ubi supra, n. 5. Accedit ratio, quia eum iudex auctoritate populi sit constitutus, quod ipse facit, populus facere censetur, arg. l. I, c. de *Veter. jure enucleand.* ibi: « Omnia enim nostra facimus, » etc., ac proinde ex binâ sententia judiciali, in eodem genere causarum uniformiter lata, satis colligitur tacitus consensus populi: alioquin enim a tali fuisset appellatum.

177. *Solvitur instantia.* — Dices. Res inter alios iudicata, aliis non præjudicat, l. *Sæpe*, ff. de *Re judicat.*, et c. *Quamvis*, 25, de *Sent. et re judic.*, cum similibus: ergo nec duæ illæ sententiæ cæteris præjudicabunt. Resp. Quidquid sit de anteced.; nam dictum illud procedit solum regulariter, ac patitur suas limitationes, quas ad longum refert Glossa un., cit. c. *Quamvis*, neg. consequent. Quia impræsentiarum binæ illæ sententiæ pariformiter latæ non præjudicant aliis in vim rei iudicatæ (quod regulariter fieri non debet, per jura allegata) sed quia consensus populi per eas sufficienter colligitur, resultat exinde consuetudo, quæ pro lege suscipitur; ac proinde sententiæ illæ præjudicant aliis solummodo

in vim consuetudinis. Bartolus, ubi supra solvens alia contraria.

178. *Alii modi probandi consuetudinem referuntur.* — Quarto probatur consuetudo, probando, quod ita ab antiquo inviolabiliter observatum fuerit, ita ut non extet memoria, quod contra factum sit; ut c. *Venerabilis*, 37, de *Præbend.* Et hic non est opus probare sententiam judicalem, nec statutum aliquod. Hostiensis, in summa, cit. tit. de *Consuetudine*, n. 6. Quinto tandem consuetudo potest probari per testes. Et quidem duos testes sufficere ad probationem consuetudinis, etiam longissimæ, notat Hostiensis, in summa, n. 10, h. t., et Mascardus, cit. concl. 424, n. 6, post Guido Papam, consil., 116, n. 9, et alios: quoniam scriptum est: *In ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum, c. Relatum est*, 11, de *Testament. Deuteran.*, xvii, 6, et *Matth.*, xviii, 16.

179. *Testes ut probent consuetudinem, quæ conjunctim deponere debeant?* — Isti testes tamen debent hæc tria conjunctim deponere; videlicet, usum populi vel majoris partis, frequentiam actuum, et diuturnitatem temporis illorum actuum: alioquin enim non censetur probata consuetudo, si deficiant in uno ex illis tribus, eo quod hæc omnia conjunctim ad consuetudinem requirantur. Rota Romana, decis. 286, n. 42, apud *Penia*; Mascardus, loc. cit., n. 2; Bartolus, cit. l. *Consuetudinis*, quæst. 28, c. *Quæ sit longa consuet.*; Decius, consil. 483, n. 20, attestans de communi. Insuper testes illi debent convenire in tempore, et actibus; alioquin enim forent testes singulares, et sic non probarent; Bartolus, ubi supra, quæst. 30; Mascardus, cit. concl. 424, n. 3 et seqq., ubi ex professo hanc materiam tractat.

180. *Præsertim loquendo de consuetudine immemoriali? Et cujus ætatis hi testes esse debeant?* — Cæterum loquendo de consuetudine immemoriali, ut ea concludenter intelligatur probata, ulterius testes conformiter deponere debent de quatuor aliis: videlicet, primo de visu per quadraginta annos. Secundo de auditu a suis majoribus, qui dixerunt, et ab aliis audierunt, semper ita observatum fuisse. Tertio, quod nunquam viderint, nec audierint, servari contrarium. Quarto, quod fuerit, et sit vox publica, seu fama, memoriam non exlare, nec exiisse in contrarium. Glossa, in cap. I, §. *Memoria de Præscript.*, in 6. Sperellus, decis. 69, *Fori Ecclesiast.*, n. 26; Gabriel, lib. V, tit. de *Præscript.*,

concl. 1, n. 81; Hondedeus, consil. 79, num. 36, l. I. atque tenet Rota Romana apud *Rubeum*, decis. 512, et alias sæpe, ut refert Sperellus, loc. cit., allegans alios, et attestans de communi. Unde, quod testes deponentes super immemoriali, debeant habere quinquaginta quatuor annos ætatis suæ (subducto tempore litis) ut possint deponere de visu quadraginta annorum, notat idem Sperellus, cit. decis. 69, n. 50, post Seraphin., decis. 54, n. 5, et alibi; Francus, cap. I, de *Præscript.*, et Rota, decis. 512, apud *Rubeum*.

§ VIII.

DE ABROGATIONE CONSUETUDINIS.

181. *Consuetudo legitime introducta potest iterum tolli; et quibus modis?* — Quæritur I. Quibus modis generatim consuetudo rite introducta, denuo tolli, seu abrogari possit? Resp. I. Certum est, quod consuetudo legitime jam introducta iterum tolli, atque abrogari valeat: idque generatim dupliciter accidit, nempe vel per contrariam legem novam ejus abrogatoriam, vel per aliam consuetudinem contrariam; prout amplius in progressu dicetur. Nunc loquendo de priori modo, seu abrogatione consuetudinis per contrariam legem, oportet imprimis distinguere inter consuetudinem generalem, et consuetudines particulares locorum, ac rursus inter has, quæ non excedunt memoriam hominum, et quæ sunt immemorales. Unde

182. *Lex posterior generalis abrogat consuetudinem priorem generalem, licet nullam hujus faciat mentionem.* — Resp. II. Lex posterior generalis abrogat consuetudinem generalem priorem sibi contrariam, licet nullam hujus faciat mentionem, neque clausulam ejus derogatoriam contineat: secus dicendum de consuetudinibus particularibus locorum, his enim non derogatur absque speciali mentione vel clausula sufficienter derogatoria ipsarum. Ita Abbas, cap. ult., n. 54, h. t., et communis aliorum; idque aperte desumitur, ex cap. I, de *Constitut.*, in 6, ubi imprimis pro regula positum habetur, quod per novam constitutionem generaliter latam tollatur prior constitutio contraria, etiam nulla hujus mentione facta; eo quod Pontifex omnia jura in scrinio pectoris sui habere, sicque ipsam non ignorasse noscatur: atqui etiam consuetudo universalis non præsumi-

tur a principe ignorari; ergo et hæc tollitur, prout notat Glossa, cit. cap. 1, §. *Singularium*.

183. *Secus dicendum de consuetudinibus particularibus locorum.*—Secus dicendum de particularibus locorum consuetudinibus: hæc enim sunt facti, et in facto existunt, sicque Papa præsumitur eas ignorare; adeoque non censetur velle ipsis in aliquo derogare, nisi expresse id caverit, seu clausulam sufficienter derogatoriam addiderit, v. g. dicendo, «Nulla obstante consuetudine in contrarium,» aut hujusmodi; prout notatur, in cit. cap. 1, de *Constitut.*, in 6, estque jam supra, tit. de *Constitutionibus*, §. 19, n. 498 et 499, insinuat.

184. *His sufficienter derogatur per clausulam generalem:* Nulla obstante consuetudine.—Resp. III. Loquendo de consuetudinibus particularibus locorum, quæ hominum memoriam non excedunt, sufficienter ipsis derogatur per clausulam illam generalem, «Nulla obstante consuetudine,» aut hujusmodi. Ita communis; idque liquet ex eo, quia necesse est, ut dicta clausula quidpiam operetur: at qui nihil operaretur, nisi tollendo consuetudines particulares locorum; nam consuetudo generalis, si qua extaret, jam sufficienter tolleretur per ipsammet novam constitutionem contrariam, ut proxime dictum. Accedit, quod hæc clausula demonstrat principem habuisse notitiam contrariæ consuetudinis: prout fuit resolutum per Rotam in *Toletana admissionis*, 17 junii 1609, coram D. patriarcha Pamphilio, impressa per Farinacium, decis. 182, n. 6, p. 1, recent. ac refert Barbosa, clausul. 87, n. 4.

185. *An per clausulam illam generalem:* Non obstante quacumque consuetudine, etiam derogetur consuetudini futuræ seu imposterum introducendæ? *Ponuntur rationes sententiæ affirmatiæ.*—Quæritur II. An per clausulam generalem, «Non obstante quacumque consuetudine» etiam derogetur consuetudini futuræ, seu imposterum introducendæ? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi est: quia lex semper loquitur; ac proin reprobata indistincte quacumque consuetudine, non solum præterita et præsens, verum etiam futura reprobari videtur: deest enim consensus legalis ad eam requisitus, lege semper loquente, ac consuetudinem de novo induci captam reprobante. Accedit, quod lex de sui natura in futurum, atque ad futuros casus ordinetur, cap. de *Constitut.*, et l. *Leges*, c. de

Legib., ergo ubi generaliter reprobatur consuetudinem, etiam futuram reprobare intelligitur. Idem probatur ex c. *Ad nostram*, 3, et c. *Cum inter*, 5, h. t., ubi talis ex post facto introducta consuetudo non valere declaratur. Atque ita tenent plures doctores, quos allegat card. Tuschus, litt. C., conclus. 814, n. 6, et multum huic sententiæ favet Barbosa, clausul. 87, n. 41 et seqq. Verum his non obstantibus,

186. *Sententia negativa tenetur, nisi consuetudo sit reprobata ut irrationabilis.*—Resp. Lex, sive constitutio sub dicta clausula reprobans consuetudinem, præsentem seu existentem dumtaxat, non etiam futuram improbare censetur: nisi simpliciter eam reprobet, seu damnet utiniquam, et irrationabilem. Ita Glossa, in Clem. *Statutum*, §. *Consuetudine de Electione*. Abbas, in cap. ult., n. 24, h. t., et consil. 7, § *Et ego puto*, lib. II, card. Tuschus, cit. concl. 814, n. 8; Covarruvias, lib. III, *Var. resolut.*, c. XII, n. 4, conclus. 1 et 4; Layman, lib. I, tract. IV, cap. XXIV, n. 7; Engel, h. t., n. 23, appellans hanc sententiam magis communem doctorum. Ratio est, quia in cap. ult., h. t., generaliter dicitur, quod per consuetudinem rationabilem, ac legitime præscriptam derogetur priori legi positivæ humanæ; ergo hoc ipsum etiam procedit respectu legis consuetudinem reprobantis, dummodo hæc non fuerit damnata ut irrationabilis, et fovens iniquitatem: alioquin enim nova consuetudo in contrarium introducta, hoc ipso non foret rationabilis, sicque nunquam posset procedere, nisi forsitan ex nova superveniente causa iniquitas illius tolleretur, ut dictum supra, § 2, n. 46.

187. *Solvuntur rationes prioris sententiæ.*—Ac per hoc patet ad rationes dubitandi, ac pro contraria sententia, num. 185, allatas. Ad primam negatur consequentia: quia non obstante, quod lex semper loquatur, valet contra eam consuetudo rationabilis, et legitime præscripta; atque ad hoc adest consensus ipsius principis, sive legalis: in cap. ult. de *Consuetud.*, cum concordantiis expressus. Ad alteram respondetur per idem: nam lex ordinatur utique de sui natura ad casus futuros, sed donec revocetur, aut per contrariam consuetudinem rationabilem, et legitime præscriptam, eidem denuo derogetur. Ad c. *Ad nostram*, et c. *Cum inter*, h. t., dicitur, ibi sermonem esse de consuetudine reprobata tanquam iniqua, et irrationabili, ut patet ex littera; qualem etiam data conclusio

neutiquam admittit, imo expresse excipit: unde hujusmodi jura in ejus probationem pro altera parte deserviunt.

188. *Utrum per clausulam generalem.* Non obstante quacumque consuetudine, aut hujusmodi censeatur sublata consuetudo immemorialis? *Afferuntur fundamenta sententiæ affirmatiæ.*—Quæritur III. Utrum per clausulam generalem, «Non obstante quacumque consuetudine,» aut hujusmodi, censeatur sublata consuetudo immemorialis? Affirmat Gloss. fin., in Clem. ult. de *Rebus eccles. non alienand.* eamque sequitur Abbas Panormit., in cit. Clem. ult., n. 17, dicens Glossam procedere, si in nova constitutione ponantur verba hujusmodi, «Nulla obstante consuetudine,» aut similia: vel si ipsa reprobet «quavis consuetudinem, aut consuetudinem quantumcumque tempore de facto servatam,» ut fit cap. II, h. t., in 6, licet secus censeat esse dicendum, quando simpliciter damnatur consuetudo. Et pro hac sententia plures alios allegat Barbosa, d. clausul. 87, n. 13. Accedit ratio: «Quia qui dicit omnia, nihil excludit;» ut c. *Solite*, juncta Glossa, §. *Quodcumque de majorit. et obed.* Item constitutio generalis, præsertim in materia non pœnali, generaliter est intelligenda, l. *In fraudem*, § fin., ff. de *Testam. milit.*, et l. *De pretio*, ff. de *Publician. in rem action.*, cum similibus. His tamen non obstantibus,

189. *Sententia negativa præfertur.*—Resp. I. Sub clausula generali revocatoria, «Non obstante quacumque consuetudine,» aut hujusmodi, non comprehenditur consuetudo immemorialis. Ita Covarruvias, lib. III. *Var. resolut.*, cap. XIII, num. 5, citans præ cæteris Baldum, Angelum, et Alexandrum, Barbosa; cit. clausul. 87, n. 4, et 8, allegans plurimos alios; Castro Palao, part. I, tract. III, disp. 3, punct. 5, § 1, n. 10, asserens hanc esse communem sententiam. Ratio est, quia pro consuetudine immemoriali præsumitur justus titulus: nam possessio temporis immemorialis est instar tituli, imo qua non potest allegari melior titulus de toto mundo, ut loquitur Fagnanus, in c. *Cum Apostolica*, n. 6. *De his quæ fiunt a prælat.* etc. Insuper consuetudo antiquissima, vel hominum memoriam excedens, habet vim privilegii a principe concessi, arg. c. *Super quibusdam*, 16, de *Verb. signif.* Ubi Glossa §. *Non extat memoria*, inde concludit, et diligenter notandum inquit, quod consuetudo illa, cujus initium non extat memoria, jus, sive privilegium inducit,

ut l. *Hoc jure*, § *Ductus aquæ*, ff. de *Aqua quætidiana*. cum similibus. Idem tradit, et amplius confirmat Mascardus, concl. 429, de *Probationib.* n. 3, citans alios, ac Fagnanus, c. *Cum contingat*, n. 6, de *Foro compet.* Unde merito concludendum, quod consuetudo immemorialis, utpote adeo privilegiata, non comprehendatur sub generali revocatione consuetudinum; sed ad ejus abrogationem requiratur specialis mentio per ly, «etiam immemorialis:» aut hujusmodi. Et ita quondam decrevisse sac. congregationem, refert Fagnanus in c. *Ad hæc*, n. 34, de *Religios. domib.*

190. *Limitatur tamen hæc sententia. Quando lex nova reprobatur consuetudinem veluti irrationabilem, etiam tollitur immemorialis.*—Resp. II. Nihilominus data conclusio patitur quasdam limitationes. Et imprimis ipsa fallit, atque sub generali revocatione consuetudinis comprehenditur etiam immemorialis, quando per novam legem, sive constitutionem, reprobatur consuetudo veluti irrationabilis; ut fit cap. *Ad nostram*, 3, et c. *Cum inter*, 5, et c. *Ex parte*, 10, h. t. cum similibus; ac patet ratio ex dictis supra § 2, n. 37.

191. *Idem dicendum, quando ratio legis etiam militat in consuetudine immemoriali.*—Deinde fallit conclusio, quoties ratio illa, ob quam lex consuetudinem abrogavit etiam militat in consuetudine immemoriali: tunc enim etiam huic censetur derogatum, ut tradit Covarruvias, cit. cap. 13, n. 5, et Barbosa d. clausul. 87, n. 10, citans insuper Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 33, num. 2, et Nicol. Garcias de *Benefic.* part. III, cap. II, n. 190. Concordant dicta in simili, tit. de *Constitut.* § 17, num. 427, et seqq. (ADNOTATIO XXVIII).

192. *Aut quando tolluntur omnes consuetudines, excepto certo casu.*—Insuper quoties generaliter tolluntur quæcumque consuetudines, excipiendo dumtaxat unum certum casum (prout fit in concilio Trident. sess. 22, cap. IX, de *Reformat.*) censetur etiam sublata consuetudo immemorialis, quando ipsi non convenit ratio casus exceptuati. Ratio est: quia tunc exceptio illa firmat regulam in casibus non exceptuatis, adeoque regula locum habebit etiam in consuetudine immemoriali. Fagnanus cit. c. *Ad hæc*, n. 34, de *Religios. domib.*

193. *Extra hos casus clausula generalis non derogat consuetudini immemoriali.*—Cæterum

extra memoratos casus, atque limitationes, procedit data nostra conclusio. Siquidem jus sufficienter distinguit inter consuetudinem communem, sive tempore ordinario præscriptam, et inter consuetudinem immemorialem; hoc ipso, quod attribuerit huic supra dictas speciales prærogativas. Prout simile quid notatur, cap. 1, de *Præscript.* in 6, ubi præscriptio temporis immemorialis expresse distinguitur a præscriptione temporis ordinarii, et valet ista non valente. Atque per hæc patet solutio ad rationes contrariæ sententiæ.

194. *Consuetudo potest abrogari per contrariam consuetudinem.* — Quæritur III. An, et qua ratione consuetudo abrogetur per contrariam consuetudinem? Resp. I. Certum est consuetudinem legitime completam posse abrogari, seu tolli per aliam consuetudinem sibi contrariam. Ratio est clara; quia consuetudo habet vim legis; ergo sicut lex posterior derogat priori, cap. 1, de *Constitut.* in 6, et sicut pacta novissima prævalent prioribus, l. *Pacta novissima.* C. de *Pactis*, ita consuetudo posterior excludit priorem.

195. *Et quæ ad hoc requirantur?* — Resp. II. Ut consuetudo posterior tollat priorem, requiritur imprimis, quod ipsi sit directe contraria: alioquin enim una consuetudo secum comperetur alteram, aut ipsam explicaret; sicque posterior non tolleretur priorem. Deinde requiritur, ut consuetudo abrogatoria prioris fuerit legitime præscripta; hoc est, frequentatis contrariis actibus continuata tanto tempore, quanto opus habuerat prior consuetudo ad sui introductionem. Hoc tamen præcipue locum habet in consuetudine præter legem, utpote quæ est novi juris constitutiva, sicque non abrogatur, nisi tempore ad aliam legem abrogandam requisito: nam in consuetudine contra legem datur ratio specialis, de qua num. seq. Tandem ad consuetudinem abrogatoriam prioris requiritur, quod sit rationalis, atque a majori parte communitatis observata: quia enim consuetudo legitime introducta habet vim legis; ergo ad ejus abrogationem ea omnia requiruntur, quæ requiruntur ad legem vi contrariæ consuetudinis abrogandam superius jam dictum fuit.

196. *Ut consuetudo contra legem abrogetur per aliam, non requiritur tempus ordinarium.* — Resp. III. Loquendo de consuetudine contra legem (quæ alio nomine *Desuetudo* appellatur) ad hujus abrogationem, utpote per quam receditur ad jus commune, non est

necessarius lapsus temporis cæteroquin ad consuetudinem introducendam requisitus. Unde quando consuetudo posterior contra aliam consuetudinem reducit nos ad terminos juris communis ecclesiastici, sufficere tempus decem annorum ad tollendam contrariam consuetudinem priorem, tenet Abbas cap. ult. n. 49, h. t.; Felinus c. *Cum accessissent.* n. 30, de *Constitut.*; Mascardus, concl. 172, n. 45, citans alios; et Suarez, lib. VII, de *Legib.* cap. xx, n. 21. Qui tamen id solum admittit in casu, quo prior consuetudo contra jus commune fuit particularis, seu alicujus specialis loci, non autem universalis totius Ecclesiæ.

197. *Et sufficit decennium.* — Et hoc tradunt præcitati auctores, haud obstante, quod ad derogandum juri canonico per contrariam consuetudinem requirantur tempus quadraginta annorum. Rationem dicte specialitatis dant: quia ad inducendam consuetudinem præter jus, generaliter sufficit lapsus decem annorum, per dicta superius n. 94; atqui posterior consuetudo, per quam fit regressus ad jus commune antiquum, hoc ipso est consuetudo præter jus, aut potius secundum jus, non autem contra jus; ergo. Verum, quia superius § 4, n. 105, et seqq. cum pluribus aliis dictum fuit ad derogandum legibus ecclesiasticis per contrariam consuetudinem sufficere decennium, hinc juxta eandem sententiam data horum doctorum responsio caret specialitate.

198. *Imo neque tale tempus requiri videtur.* — Alia vero ratione incedit Navarrus, consil. 1, de *Constitut.* quæst. 7, n. 28, quem sequitur Suarez lib. IV, de *Legib.* cap. xvi, n. 43, dum aiunt, quod si lex ab initio non fuerit recepta neque observata per aliquod tempus sufficiens, non ideo lex censeatur omnino annullata, et revocata; ac proinde, si postea communitas mutet animum, legemque illam generaliter latam incipiat recipere, ac pro majori parte observare, revera lege illa obligari incipiat absque nova legislatoris voluntate. Ratio hujus esse potest; tum quia non sunt idem, legem a principe revocari; et legi per contrariam consuetudinem (præsertim specialem) derogari. Ibi enim lex omnino tollitur, ac perit ejus substantia, sicque non potest amplius reviviscere, nisi legislator, aut consuetudo legitime præscripta, eam de novo reproducat: hic autem solum quodammodo suspenditur obligatio legis, et revocatur non simpliciter, sed quamdiu populus,

sive communitas, in sua contraria consuetudine vult persistere, nec juri suo cedere incipit; tum quia res de facili revertitur ad suam primævam naturam, arg. l. *Filio quem pater.* ff. de *Liberis et posthum.* et l. *Si unus.* § *Pactus* in fin. ff. de *Pactis*, Simulque consuetudo, per quam fit regressus ad jus commune, seu ad priorem regulam, sive legem, censeatur favorabilis ac benigna; ut tradit card. de Luca, de *Jurisdictione*, discours. 37, n. 7, et de *Dote*, discours. 43, n. 8, citans Ancharanum, consil. 131; tum tandem, quia quilibet potest renuntiare juri suo c. *Si diligenti.* de *Foro compet.* cum similibus; ergo etiam populus, sive alia communitas, potest renuntiare juri per contrariam consuetudinem sibi competenti quoad exemptionem a lege communiter lata: atqui is, qui juri suo semel renuntiat, illud repetere non potest, can. *Quam periculosum.* 7, q. 1, cum concordantiis; ergo. Certe, ut legi a principe latæ derogetur per contrariam consuetudinem « via conniventia, » seu principe eam sciente et tolerante, non requiritur certum tempus, sed sufficiunt actus contrarii judicio prudentis viri determinandi, ut dictum supra § 4, n. 94, et seqq.; multo magis igitur hoc est dicendum de abrogatione prioris consuetudinis contra legem per aliam posteriorem, eo quod hanc et princeps lege sua generaliter lata expresse desideraverit induci, et ipsam populus mutato suo priori animo ex certa scientia amplecti voluerit.

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

1. *Ratio continuationis titularum.* Parum est jura condere, nisi sint qui ea tueantur. — Explicatis generalibus principiis juris, tum scripti, tum non scripti, incipit compilerator juris canonici hoc titulo tractare de ministris ipsis, id est, iudicibus, et prælatibus ecclesiasticis, qui possint eadem jura reddere. Siquidem parum foret, jura condere, nisi essent qui eadem tuerentur, c. *Ubi periculum.* § *Præterea,* de *Elect.* in 6, et l. 2, § *Post originem.* ff. de *Orig. jur.* quique ea executioni debitæ demandarent, cap. 1, § *Et quoniam.* de *Statu Regular.*, in 6. Cum igitur prælati ecclesiastici ad dignitates, et officia sua promoveantur

vel per postulationem, vel per electionem, vel per translationem, qua v. g. episcopus auctoritate apostolica transfertur ab uno episcopatu ad alium: hinc de istis tribus modis per sequentes tres titulos singillatim agitur, incipiendo a postulatione. De qua loquendo sit.

§ I.

DE NATURA ET DIVISIONE POSTULATIONIS, EJUSQUE DIFFERENTIIS AB ELECTIONE.

2. *Postulatio proprie dicta.* — Quæritur I. Quid sit postulatio? Resp. I. « Postulatio proprie dicta, » et quantum ad propositum, est alicujus personæ ad prælaturam, seu dignitatem ecclesiasticam erga superiorem directa petitio, ut eam dispensative admittere velit. Ita in re communis; patebit et amplius ex dicendis.

3. *Et postulatio in genere quid?* — Dicitur notanter, « Postulatio proprie dicta. » De hac enim impræsentiarum ex professo loquimur: alioquin enim si velimus loqui de postulatione in genere, ac prout etiam improprie dictam sub se complectitur, absolute erit dicendum cum Glossa ad rubric. h. t. in 6, quod « Postulatio est petitio gratiæ facta a superiore. »

4. *Est introducta in subsidium electionis.* — Et additur inter alia « dispensative: » quia postulatio semper est de persona, quæ quopiam impedimento, aut defectu laborat, ratione cujus de jure eligi non potest, ac propterea opus habet dispensatione. Postulatio siquidem fuit inventa in subsidium electionis, nimirum ut illi, qui secundum canones eligi non possunt, saltem postulari, atque ex superioris gratiæ dispensative promoveri valeant, quando cæteroquin Ecclesiæ utiles esse futuri dignoscuntur. Zoesius h. t. n. 3; Pirhing. n. 4. Ille autem, qui de jure potest eligi, non debet postulari: et si electores ipsum postulant, nihil agunt. Abbas ad rubric. h. t. n. 3, et amplius infra n. 31 et 32, dicitur.

5. *Postulatio sollemnis?* — Quæritur II. Quotuplex sit postulatio? Resp. I. Postulatio est duplex, sollemnis videlicet, et non sollemnis. Ita Abbas, cap. 1, n. 34, h. t.; Engel, eod., n. 8, et alii passim. Et quidem « Postulatio sollemnis dicitur, » quando postulatur quis ab eo superiore, qui potest in impedimento, seu defectu postulati dispensare. Et de hac pro-